



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Joannes Evangelista. 27. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

fuit somno similis, utpote, quæ belli finis, & pacis initium fuerit. Moriar, Domine, moriar ut sancti, quorum mors tam pretiosa est in oculis tuis. Vivamus, patiamur, laboremus, ut Iusti & morte Iustorum moriamur. *Moriatur anima mea morte iustorum!*

S. JOANNES EVANGELISTA.

27. Decemb.

Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus. S. Joan. cap. 21.

ECce, Mater Magna, Filius tuus! Ecce quisquis Filius Mariæ es, germanus Virginis Sodalitatis Ioannes, cui ultimùm cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in Matrem Matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Ioannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cœlestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, innoxium

Dd 2

xium

xium bibit, nec ab hoc tantum abhorruit, quantum ab hæreticis, Cerintho præcipue, quocum ne lavare quidem eisdem in balneis voluit. Amorem eius aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cum oleo Romæ ab igne bullienti immixtus fuit. Aiebat summam legis Amorem esse. Illud unum in ore habuit: Filioli diligite alterutrum. Certè quantum animos dilexerit, argumentum ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus Ioannes Episcopo unicè commendaverat, sed pessimo Custodi, Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadit. Subinde Ioannes adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tam diu insequitur, dum lacrymis suis sistit, canisq̃ue & amplexibus impeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntq̃ue ab Orco rapi, quàm à cælo capi. *Ex Baron.*

MEDI-

M E D I T A T I O.

De vita S. Joannis.

1. **E**Cce amicus Iesu Christi! qui supra ejus pectus in Cœna recubuit, & novit penitiora divinitatis arcana. Hoc primò statuitur inter amicos, ut amicus amicum nihil celet. Novit ne Iesus secreta cordis tui? Nihilque aggredieris eo inconsulto? Potes tu quidem, per vulnus lateris quolibet tempore cor ejus subire, ipse verò non item: nam cor tuum Iesum capere non potest, cum tot profanis rebus sit plenum. *Amate, Deus meus, semperq; magis, amare cupio, Aug.*

2. Altera lex amicitiae est, bonorum communio. Vivens Iesus totum se Iohanni dedit, & moriens eidem legavit castissimam Matrem, dicens: *Fili ecce! Mater tua;* Iohannes autem se, suaque omnia devoverat Christo. Te pariter totum Iesu trade, si velis esse amicus ejus. Quem amas anime mi? Quid dedi amantissimo Iesu? An voluntatem, intellectum; an omnia denique illi consecravi.

3. Tertia amicitiae lex est morum conformatio. Amor aut similes invenit, aut facit. Indè Iohannes tam graphicè Iesum expressit, ut alter fuerit filius Mariae. Amabit te Iesus, si fueris illi similis; ut id assequaris, non opus est, ut recumbas super Domini, sed, ut Dominus recumbat super pectus tuum. Et acquiescas divinae voluntati. *Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est. Hier.*